

Innostescat ergo omnibus veritatis testimonium, ut remotis malis scandalorum vel causarum, quae in huiusmodi rebus emergere solent, ea, quae pacis sunt sectantes, securam pacem et tranquillam quietem habeant omnes hic in perpetuum Christo militaturi.

Anno igitur incarnationis Christi 1166, qui fuit obitus decessoris nostri piaae memoriae Werinheri abbatis et nostrae<sup>1)</sup> ordinationis annus, Waltherus de Rotinberg<sup>2)</sup> contradidit Ysiniensi coenobio pro remedio animae suae et fratris sui Adelberti praedium suum, id est dimidium mansum in Maizilstein<sup>2)</sup> cum duobus mancipiis Adilbert et Hiltibrant coram subscriptis testibus: Bertholdus et Henricus frater eius de Druchburg<sup>3)</sup>, filii fratris ipsius W., Adilbertus et . . .<sup>4)</sup> cum omni clientela vel familia ipsorum, Adelbertus de Huginanc<sup>2)</sup> et fratres et filii ipsius et alii quam plures.

Anno eodem Ripertus de Niderhofen<sup>5)</sup> praesente filio suo Bertholdo saeculo renuntians deo disponente contradidit nobis praedium suum in Rintbach<sup>5)</sup>, sed et aliud in Emiheinhoffen<sup>6)</sup> cum parte ecclesiae ipsius villae coram testibus subscriptis: Henricus de Christanihofen<sup>6)</sup>, Bertholdus et Henricus de Druchburg, Bertholdus de Mutwigishofen<sup>7)</sup> et alii plures.

Item eodem anno Pillingerus quidam obtulit filium fratris sui L. cum praedio Corneja<sup>8)</sup> dicto.

Anno sequenti 1167 Conradus quidam liber homo se cum filio suo Bertholdo ac cum praedio suo ad hunc locum contulit. Dedit ergo dimidium mansum et molendium in Adilhartshofen<sup>9)</sup> praesentibus testibus: Henrico de Christanihofen et filio eius Rudolpho, Henrico de Druchburg et aliis multis.

Anno incarnationis 1168 Adilhaida, ministerialis comitis Wolfradi, dedit mansum dimidium in villa Holzlütin<sup>10)</sup>. Obtulit et filias suas Adilhaidam et Hemmun deo militaturas.

Item ex opido isto Ysne Burkardus et Elisabeth, uxor illius, dederunt dimidium mansum in Razinhofen<sup>10)</sup>. Obtulerunt et ipsi filios suos Benedictum et Frider[ic]um, quae (*sic*) postmodum etiam ipse comes manu sua contradidit praesentibus comite Henrico de Lechisgemundi<sup>11)</sup> et Bertholdo de Druchburg et ministris.

Anno incarnationis domini 1169 Wernherus presbyter qui-

---

1) Des Abtes Marquard. 2) Rettenberg, Untermaiselstein, Hinnang, bair. BA. Sonthofen. 3) Trauchburg, Ruine bei Kleinweiler, bair. BA. Kempten. 4) Hier ist Raum für einen Namen gelassen. 5) Niederhofen, Rimbach, würt. OA. Leutkirch. 6) Enkenhofen, Christazhofen, würt. OA. Wangen. 7) Mutmannshofen, bair. BA. Kempten. Die Hs. schreibt gekürzt Mutwigish. Christonih. 8) Kornau bei Oberstdorf, bair. BA. Sonthofen. 9) Aderazhofen, würt. OA. Leutkirch. 10) Gross- oder Kleinholzleute, Ratzenhofen, würt. OA. Wangen. 11) Lechsgemünd, bair. BA. Neuburg a. Donau.